

Kohlio sexies, Winklero quater solennia iusta solent exsolvi. Ne itaq; meos Auditores horulæ spatium impendisse pœniteat, subinde placet argumentum huic statui commodum, cui spectatissimi Testatores voluerunt etiam post mortem esse commendati. Ac proinde ad diem crastini, quo Festum Corporis Christi, quod nominamus, incidit, finitis in Templo sacris, dicere decretum est de INDUSTRIA discentium PRIVATA, non quam Præceptores horis, quas vocant, privatis sive privatissimis exigere solent, sed qua quisq; suus evadit Præceptor, ut repetendo, legendo, imitando suas vires non modo probet, verum etiam confirmet. Oppositum hoc argumentum est ineptæ hominum persuasioni, qui tum non pueros saltem, quod consultissimum est; sed provectiores etiam juvenes suo satisfecisse credunt officio, cum à primo diluculo vocati ad Magistros, continuo scribendi audiendive labore distrahuntur, donec ad serum hesperum affulgeat relaxationis spes. Cum ex adverso qui compendiosa manu ductione paucis horis usi, domesticam suam & secretam experiuntur diligentiam, successus habeant multo feliciores. Nam id ego semper statuo, nullius pretii esse Studiosum, qui suo Marte nihil addere conetur studiis Præceptorum. Sed de istis plura dicentur, cum in auditorio convenerimus. Cui operæ, si qui ex literarum Patronis & Fautoribus suam præsentiam indulgere fuerint dignati: faxo, ut intelligant, nec ingratum me esse, nec immemorem, quoties ordini Scholastico favor aut benignitas demonstratur. *Scribeb. è Gymnasio*
d. 28. Maji 1687.

